



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Opportunum homini religioso documentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

At si ad hos ausus nondum tibi sufficit animus; exhibe te saltem promptum atque submissum ad omnia, quæ divina tibi providentia imposuerit, dicens & tu cum Propheta Regio: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus* (id est, peccata mea, quæ mihi sunt doloris causa) *in conspectu meo semper.* Aut illud paulò animosius, ex ejusdem Prophetæ imitatione usurpans: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: iste Agnus quid fecit? Tertatur, obsecro, manus tua contra me.*

Psal. 37.

2. Reg. 24.

Ad hæc, afflictiones omnes, sive extrinsecus immittas, sive à te ipso voluntariè susceptas, cum Christi flagellis velut in fasciculum colliga, easq; conjunctim offer æterno Patri, saltem Filij meritis & confortione placituras. Itidémq; consuesce in cunctis adversis eidem gratias agere, pro benevolentia, quæ te participem facit flagellorum Unigeniti; & ingenuè agnosce, semper nimis clementer & indulgenter tecum agi, neque te tractari pro meritis; ut tibi propriè assumere possis, quod in libro Job dicitur: *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi.*

Job 33.

§. 3.

Opportunum homini religioso documentum.

DEmum, ut in gratiam hominum Religiosorum istud extremum adijciam: opportunè, ut ego arbitror, atque ad leniendas molestias severioris vitæ utiliter faciet homo Religiosus; si se, ratione suscepti status, fingat ad columnam alligatum cum Christo, & ad flagella atque verbera (undelibet ingruant) expositum. Neq; enim aliud esse Religiosum, quàm hominem in primis despoliatum nudatumq; rebus omnibus hujus sæculi; tum professionis votorumq; vinculis eum Christo, & cum Christo tanquam ad columnam obstrictum; postremò assiduæ mortificationi, & quotidianis religiosi Status incommodis, velut crebris flagellorum ictibus

M m m z

sup

suppositum atq; subjectum. Id enim hæc efficit persuasio; ut quæcunque sibi, sive ex legum suarum præscripto, sive de superiorum voluntate, duriora proveniant, æquiore animo, & sine voce cum Christo perferat; non immemor, quando religioni obligatus est, sese sponte suâ universæ illi flagellorum grandini, ex Christi amore atque exemplo, supponisse; neque mirum jam esse debere, si ictus crebriores in se depluant, & propter Deum mortificetur totâ die, æstimatus cum Christo sicut ovis occisionis.

L. 2. vit. c. 19.

Ita se animo comparaverat noster B. Aloysius; quem dicere solitum accepimus: *Esse se ferrum incurvum, atque ad Religionem venisse, ut severioris disciplina exercitijs, perinde ac malleo, tunderetur & corrigeretur.* Quæ cogitatio mentem revocat, quod de ipso Christo in hæc verba ait.

Serm. 2. de Can. Dom.

Qui tanquam jugulatori suo deludens (nimirum ut ovis mitissima) se ipsum non relinens exposuit, & nudum corpus quasi incidem malleatorum ictibus patienter explicuit.

Isai. 32.

Profectò qui ita persuasus religiosum statum capessiverit, eademq; animi comparatione in eo pervixerit; *Sedebit* (ut Scriptura loquitur) *in pulchritudine pacis, & in requie opulenta;* hoc est, animi pace perfruetur suavissima, divinisq; delicijs affluet, & magnis meritis Deiq; donis ditabitur. Quemadmodum qui contrâ affectus sit, & non nisi mollia in Religione sibi proposuerit; is dolorem sibi super dolorem adjiciet: quando & coelestibus destituetur solatijs, neque sic flagella aut cruces effugiet, quas ipso renisu aggravabit, exacerbabitq; impatientiâ, fietq; alijs ac sibiimet ipsi gravis: quia, ut ille ait: *Vincenti datur manna, & torpenti relinquitur multa miseria.*

L. 3. de imit. Christi c. 35.